14.

IOANNIS BAPTISTAE MAZZEI,

De Petticulis.

ILLVSTRISSIMO,
Et Excellentissimo Carrariæ
Marchioni
ALDERANO CYBO.



GENVAE, Apud Hæred. Hieronymi Bartoli.
Superiorum permissu. MDXCIII.



ILLVSTRISSIMO, ET EXCELLENTISS. CARRARIAE MARCHIONI, ALDERANO CYBO.



IOANNES BAPTISTA MAZZEVS FOELICITATEM.



OS est ferè apud omnes antiquissimus (Illustrissimæ Marchio,) qui aliquas in lucem lucubrationes dare constituunt, vt sibi protectorem Patronum, sub cuius nomine, faustissimisq; auspitijs tutentur, asciscant: Hinc occasione sumpta eius, (vt par est,) narrant, ac extollunt laudes. A' multis igitur, vt opusculum à me aliàs de maculis in pestilenti apparentibus febre, quæ vulgò Petticulæ dicuntur, exaratum, typis excuderem rogatus, ne absq; potenti protectore in alienas manus vagaretur, te optimum Patronum elegi, quem, vt sem-

per vnicè dilexi, & obseruaui, sic tu me, qua præditus es gratia, & humanitate, adiuuasti, ac protexisti. Tuas autem, tuorumq; laudes, gloriam, præclarissimaq; gesta (viribus etenim meis impar est onus) aggredi non audeo: quòd enim vix annalibus, longaq; historia dici potest, epistola explicare non licet. Tua naq; propago non humili, obscuroq; loco, sed à Græciæ Principibus Κυβοι ortũ ducit: qui a Κυβω eorum cognomine insignia sibi finxerũt: Inter quos Ioannes Κυβος Insulæ Chij Princeps, ob insignẽ pietatẽ cognominatus Καλος, clarissimus fuit. Ab huius antiquissimæ familiæ primordijs aucta prole, alij Neapolim, vndè Tomacella domus, semper quidẽ insignis, sed à Bonifacio VIIII. sublimiter exornata: alij Genuam appulerunt, qui primi tuis maioribus nomen, & insignia indiderunt, à Κυβω Cybo, à Κυβοι Cubi, quos illi primum in Græcia cælesti, alboq; colore distinctos, & ab illis longa serie in Italia successores gesserunt semper, vt nunc gerunt, in armis; Quorum familia inter primas Genuæ clarissima, plurimi bello, paceq; sic floruerunt, vt ex rebus benè, fœliciterq; gestis, & de Republica bene meriti, publicis insignijs (rubea nempè Cruce) insigniti fuerunt. Capraria alij, Gorgonæq; insularũ dominium tenuerunt. Apud Reges, & Imperatores non pauci summo in honore extiterũt, eorumq; Regna summa prudentia, & laude gubernarunt: vt præ cæteris Carolus, qui Ruberti Neapolis Regis fuit à secretis, eiusdemq; Prorex vicẽ gessit: eandẽmet prudentiss. Aranus Innocentij VIII. pater, à duobus

Regibus

Regibus Renato ab Angio, & ab Aragonē Alfonso inimicissimis æquè vtrisque gratus, auctoritatē, ac dignitatē suscepit: Hinc S. R. Eccl. Antistites, Summusq; Pontifex Innocentius, qui perillustrem familiam suprema dignitate decorauit. Proauus autē tuus Franciscus Anguilaræ Comes strenuus, & egregius Heros, S. R. E. Generalis fuit in Armis: cui filius Laurentius Florentilli Comes, Massæq;, & Carrariæ Marchio, Equitū leuis, & grauis armaturæ sub patruo Leone X. magister, & Clementis VII. custodiæ præsul, maiori dignitate successit: Quorum omnium, et aliorū non paucorum, quos breuitate prætereo, egregia gesta, virtutes, honores, merita, laudes, & gloria in annalibus, ac historijs memoriæ prodita leguntur. Excellentiss. subinde Pater tuus Albericus digniss. Laurentij filius, Sacri Rom. Imperij ab Imperatore Princeps institutus, sicut titulum in maiorem dignitatem commutauit, Agelliq; Marchionatum in Calabria acquisiuit, & Aquilam, Imperatorum decus, eiusdemq; præclarum laudis præconium, antiquissimis κυβοις adiunxit, sic & Oppida mœnijs, & propugnaculis cinxit, ædificijsq; publicis, ac priuatis, sacris templis, plateis, picturis, latioribus vijs, amænissimis hortis, aquæductibus, & fontibus exornauit, cōstruxit, ampliauit. Arces muniuit, populosq; suos tāta probitate, & iustitia, tanta pietate, & charitate, tanta æquitate, & dilectione regit, et ab omnibus iniurijs sic protegit, & tuetur, vt vna voce, & nouus terrarū conditor, & patriæ pater optimus dicatur: Accedis tù à tanto

D

patre

patre natus, omniũ tuorũ splendor, decus, & ornamentũ: in quo vno virtutes aliorũ omnes elucescunt, magnanimitasq;, ac liberalitas ad inuicẽ certant, et sese amplectũtur: Et, ut nihil tibi ad bene, beateq; viuendũ desit, Excellentissimã Marfisam inuictissimi Francisci Estensis filiam, Serenissimiq; Ferrariæ Alfonsi Ducis patruellem stabili matrimonio Deus tibi iunxit, quæ pulchritudine, gratia, prudentia, liberalitate, cæterisq; animi, & corporis dotibus omnes antecellit, vt pro miraculo habeatur, & prædicetur: à qua pulcherrimam prolem, Carolum, Franciscum, Odoardum, Cæsarem, Ferdinandum, Alexandrum, puellulamq; festiuissimam Victoriam in ordine quintam, haud matri dissimilem, hucusq; suscepisti, Illustrissimamq; Cybo familiam fere extinctam tot, tantisq; filijs numerosam restituisti: Quorum omniũ imago, indoles, & in infantia ingenij vires, corporis forma, & præstantia, maximam de sese præbent expectationem: Quapropter ea animi tui magnitudine, gratia, & humanitate fretus, quod opusculi patrocinium non reijcias, facile confido: (Inopes enim magnanimi non spernunt:) Non equidem pro munere opus, (vt dici solet,) sed onus pro munere mitto, meosq; filios, & me ipsum tanquam Mysorum vltimum, in tuam fidem, ac protectionem suscipias, etiam, atq; etiam rogo, & oro. Deus Opt. Max. tibi, tueq; Illustrissimæ familiæ semper adsit, & faxit, omnibusq; tuis in rebus te voti compotem reddat.


Saionæ Cal. Iunij. M D XC I I I.

DE

DE PETTICVLIS EXANTHEMATIBVS, QVAE VVLGO PETTICVLAE DICVNTVR

In maligna Febræ apparentibus an Cucurbitulæ conueniant,

Et quid agendum.



Ingulis annis in vnaquaque ferè regionē inter alias febres vagari ſolent, quæ ob eorum ſymptomata mali modi, ſeu malè morigeratæ dicuntur, nunc verò trito nomine malignæ, ſeu ob ſimilitudinē quandam peſtilentes citra peſtem nuncupantur, eò quòd ſub peſtis diffinitione ſemper cōprehendi non poſſint, quando videlicet nec multos ſemper ſimul in eodem loco inuadunt, nec plurimos perimunt, vt verè peſtilentes: in quibus inter cætera ſymptomata à quarto die, vt plurimum, ad decimum quartum vſq; in cute exanthemata, vel potius maculæ effloreſcunt, quæ vulgo Petticulæ dicuntur, culicum morſibus ſimiles abſq; concoctionis ſignis, adhuc morbo exiſtente crudo, diuerſorum colorum, ſæpiùs tamen rubei coloris, & ferè ſemper cum

vrinis confusis, subiugalibus, quæ minimè clarescũt, quandoq; etiam cum tenuibus, & crudis: quibus apparentibus video Excellentissimos Medicos in huius modi symptomatis curatione in diuersas, & propè contrarias distrahi sententias, ita vt nec tutum, nec facilè sit, cui magis adhærere conueniat, iudicare. Sunt enim, qui dicant quouis tempore, & quoquo modo hæc signa appareant euacuato, vel pleno corpore, siuè sint à copia, siuè à malitia, venæ sectione dimissa, & medicamento purgante, ne (vt aiũt) materia retrocedat, plures corniculos, seu cucurbitulas cum scarificatione, ac etiam repetitionibus applicandas esse: Quorum ratio est materiam malignam à centro, & partibus primarijs ad cutem trahi oportere, motum ipsius naturæ sequendo, iuxta Aph. 21. lib. 1. Quæ ducere opportet, quo maximè natura vergit, per loca conferentia eò ducere conuenit.

Tenent quidam alij in hisce febribus venæ sectionem nunquam conuenire propter virium imbecillitatẽ præsentem, vel futuram; quod probant ex cap. 1. de bonitate & vitio succorum.

Alij asserunt, his apparentibus signis existente plenitudine sanguinis potissimum, prius euacuandum esse per venæ sectionem, & leue clysterium, dimisso medicamento, & posteà plurimas paruas cucurbitulas applicare licere per easdemmet rationes adductas, & Aphorismi auctoritatem.

Nonnulli tunc temporis venæ sectionem, medicamenta, cucurbitulas, & linimenta prorsus renuunt, & frictiones tantummodo probant, & quæ sudores elijciunt.

Non desunt, qui tenent, quòd semper, quando hæc signa symptomaticè apparent, facienda sit venæ sectio, & exhibendum medicamentum, vbi his indigeant ægrotantes, nec timenda sit retrocessio: quod probant ex

Gal. 2. 6. de morb. vulg. com. tex. 29. & cucurbitulas probāt euacuationis caussa in mediocri plenitudine, vbi vena secari non posſit, in magna autem renunt, eo quia in ea non competant nisi præmissa venæ sectione, ne maior fiat attractio, quam euacuatio.

Ab euentu probari non potest quæ nam ex his oppinionibus sit potior. Nam secundum omnes istos curādi modos, alij pereunt, alij saluantur.

Practicandi vsus adeo creuit, & inualuit; vt non solum Mulierculæ, & Tonsores, verum etiam plurimi Medici, & inter hos quidam primarij, his maculis apparentibus, statim cucurbitulas applicant, & eas sæpius repetunt, culpamq; in alios reijciunt, qui eorum opinionem nō sequuntur, si quispiam absque his vulneribus moriatur: Quapropter in his opinionum diuersitatibus, vt quæ probabilior sit magis elucescat, quærendum est.

Quid maculæ istæ sint quæ Petticulę dicuntur, & à quibus caussis fiant.

An istis apparentibus facienda sit venæ sectio & purgatio: & si vtraq; conueniat, quæ primum.

An cucurbitulæ, & reliqua ab alto attrahentia quando hęc signa apparent, probentur.

An tunc temporis conueniat intus exhibere apperientia, & quæ sudores mouere posſint.

An cordi Epithemata, sint applicanda:

Postremo quid sit agendum.

Ad primum: Petticulæ quasi Pesticulæ dictæ sunt, eò quod in pestilenti febre in cute efflorescant, & malignitatem præseferant: inter symptomata mutatarum qualitatum in colore cutis præter naturam ponendę sunt, eo quod absque læsione eam inficiant: quarum caussa sunt vapores fuliginosi à minera putridæ malignæ ebullitionis, in augumento & statu morbi sublati: distintęq; ma-

culę apparent,prout di∫per∫æ minimæ venulæ,vapores in hanc & in illam partem deponunt,qui pro materię putrefactæ diuer∫itate, cutem tingunt, ∫icuti parietem ab igne fumus.

Quæ apparentes ∫tatim delite∫cunt,indicant ∫ummam virtutis imbecillitatem: & propterea ∫ignum e∫t exitiale. In alijs morituris tandiu per∫euerant, quãdiu virtus malignos vapores irritata attollere pote∫t: In eua∫uris, quo ad natura materiam ∫uperauit. Aliter tamen vir doćti∫simus Mercurialis,& in medicinæ Gymna∫ijs primum locũ tenens in ∫uo tractatu de Petticulis quas maculas appellat, ∫en∫i∫∫e videtur, qui eas etiam inter Symptomata in genere noxæ facultatum naturalium collocauit, idq; hac ratione probat: Ni∫i expultrix vitiata à prauitate materię irritaretur, nunquam has expul∫iones faceret. Et tamen po∫tea inter differẽtias, & in curatione huiu∫cemodi macularum, expul∫ionem criticam ∫impliciter cum ∫ignis concoctionis fieri quãdoq; po∫∫e fatetur: In qua nulli dubium e∫t,quin natura ordinato motu, & non irritata neq; coacta moueatur.

In cau∫sis voluit ∫icut phlyctenas,papulas, variolas,& morbillos, prodire Petticulas etiam ab Ichoribus corruptis atq; in∫igniter putrefactis & venenatis, à virtute expul∫iua irritata ad extimas corporis partes trã∫mi∫sis,ibique ∫uo lentore adhęrentibus,& illam ∫uo colore inficientibus: quod fortaſſe fieri nõ pote∫t. Nam ∫anguinis Ichores Gal. te∫te in 2. 6. de morb. vulg.com.37. Hipp.& Platonis decreto, prauam ac tenuem humiditatem, mordacem,& erodentem continent,qui veneno∫a aliqua & maligna facultate præditi pruritum in cute excitant, deinde vt in cõbu∫tis cum ardente calore pu∫tulas: Cum igitur i∫tæ maculę a∫peræ non ∫int, neq; pruriant,neque exulcerent, neque pellem in tumorem attollant, vt à materia

fieri

fieri solet, quod & ipse tanquam probatum in sua deffinitione assummit, & humorum putredini commune munus fit, vt illas partes in quas impingit corrumpat: ex 3. tertij de morb. vulg. 25. Consentaneum rationi profectò non videtur, vt Petticulæ ab Ichoribus corruptis atq; insigniter putrefactis ac venenatis fieri possint: De maculis autē euanescentibus sic scripsit: Maculę quæ occultantur, & delitescunt peiores sunt quam illæ quę permanent: Nam quod statim delitescant iccirco fit, quia cum materia furit, mobilis est, & cum sit in motu, necessario retrocedens in intimas partes, viscera & membra nobiliora tentat, cum dimittat cutem.

Hæc expositio suspitione non caret; Nam turgidus, & furiosus motus, fit à materia acri & mordaci & à viribus robustis, & non à vaporibus illa vehementer irritante, his vehementer expellentibus. Idque ferè semper in morborum principijs, vt per Hipp. & Gal. patet in primo Aph. 22. & in primo de Cris. cap. 9. & quoniam exitum non habet, & periculum imminet ne partes principes petat, & statim interficiat, vt euenit critoni, propterea statim euacuanda est. At maculę istæ nunquā apparent in principio, neq; ab humoribus, vt probatum est, sed à vaporibus fuliginosis, qui exitum habent per cutem: ergo nō turgent. Præterea si maculæ suo lentore & crassitie, vt ipse voluit, cuti figuntur, & ideo sint permanētes, & impressæ retrocedere nō possint, vt ipsemet asserit, cum euacuationes probat ex 2.6. de morb. vulg. com. 29. quomodo statim euanescunt? quaprópter magis verisimile videtur, quod propter excretricis imbecillitatem, vapores à vasis, & a profundo corporis, vbi est putredinis focus, & minera natura ad cutem vsque expellere non semper valeat. In primo etenim insultu, natura quamuis prostrata, ab humorū prauitate valde irritata, totis viribus eni-

xa, facto impetu malignos vapores ad cutem detrudere potuit, sed mox deffessa, & à vi morbi superata, in expulsione valida perseuerare minime potens, necessarium est vapores fuliginosos parumper sublatos, à maioribus venis ad minores, neque vlterius impulsos, sua met grauitate in profundum recurrere. Quod apertè demõstrauit Gal. in primo primi de morb.vulg.com. 18.vbi de papulis apparentibus, & statim euanescentibus sic inquit. Omnium quæ tunc inciderant incommodorum, erat caput cruditas humorum, quod si quando per vim natura ad aliquos eorum excernendos aggressa esset, nihil proficiebat, imò vero ab his superata in profundum recurrere permisit. Quod semper est signum exitiale, à viribus videlicet prostratis, & non à turgente materia in profundũ recurrente: in huiuscemodi etenim malignis febribus, in quibus Petticulæ non emergunt, multi saluantur culpam igitur reicit Gal. in Naturæ imbecillitatem & non materię impetum, & furorem: Quæ autem in cute sunt impressæ, cum eorum loco aliæ non succedant, statim in auras euanescunt.

Ad secundum quæsitum dicitur. Si prius vt pote in morbi principio non sint eiusmodi euacuationes factæ, antequam Petticulæ appareant, his tamen non obstantibus, sanguinis missionem ne dum in principij latitudine, verum etiam in augumento conuenire ob morbi magnitudinem, si adhuc plenitudo adsit, & vires ac cætera requisita consentiant. Nam si putredo insignis fit ex obstructione à prauorum humorum multitudine, ratio dictat vt tolli possit obstructio, prius tollendam esse multitudinẽ: Præterea si putredo finire non potest nisi per concoctionem, ergo ea quæ ipsam impediunt tollenda. In his vero est multitudo, qua natura grauatur, & meatus obstruuntur, vlterius cum hæc signa indicent insignem putredinẽ

in san-

in sanguine vitiato indicantur maxime remedia ad putredinem inhibendam, quia hæc excellit, hæc corrumpit, interim tamen, & febri, & caussis, & symptomatibus prospiciendum, pro ut hoc vel illud magis vrget. Ad putredinem incipientem respiciunt refrigerantia, ventillantia, & exicantia: Ideo ante omnia venæ sectio statim à principio necessaria est: nam præterquam quod refrigerat & ventillat, simul etiam caussam adimit, scilicet multitudinem: In progressu autem vt pote in augumento, minus conuenit, non enim est remedium putredinis factæ, sed incipientis: Vires autem id indicabunt simul & mensuram, ad quas non solum præsentes, sed futuras maxime prospiciendum iubet Gal. quę per morbi malitiam facillime cadunt: & quo magis putredo inualuerit, vires minus constabunt, cito autem porrigitur putredo vbi valde vitiati fuerint humores: Ideo sæpe præterit occasio venæ sectionis: Quo tempore etiam si adhuc plenitudo adsit, minus sanguinis est mittendum: At cum viribus infirmis, ab hemorrhoidibus, vel scarificatis cruribus potius quã per venæ sectionem. Ad putredinem autem factam indicantur euacuantia, si natura sponte non aggressa sit, aut non perfecerit: In colliquantibus purgantia non sunt ex vsu, & vbi venter male affectus est: & 3°. 3ª. de morb. vulg. 56. & 57. & 2. Aph. 35. in reliquis in principio læuiora ad minuẽdũ, paulo efficaciora postea in morbi declinatione: Quod si in principio purgandi præterijt occasio, etiã Petticulis apparentibus, ceu venæ sectio, conuenire potest, & medicamentum, læue tamen, propter humorum redundantiam & malitiam, quæ cito vires opprimunt: Neq; in in his expectandæ sunt manifestę cõcoctionis notæ in pluribus etenim ante morbi perfectum statum nõ apparent, sed con vrinis confusis & subiugalibus, vel admodũ crudis & tenuibus per totum statum perseuerantes, crises ad salutem

11. Meth. c. 14.

salutem fieri consueuerũt, in quibusdã vrinas à principio subiugales vsque ad septimum, deinde ad acquosas, & axactam cruditatem permutari, & cum his in vndecimo iudicium fieri, inde apparentibus signis concoctionis in decimo quarto morbum solui, in nonnullis è contra à principio acquosas fuisse, deinde fieri subiugales, & sic vsque ad principium declinationis perseueraſſe: In alijs vero eo vsque fuisse subiugales, & in paucis similes sanis, sed has semper exitiosas quandoq; obseruaui: Nec symptoma euacuationes prohibet, ex 2. 6. de morb. vulg. 29. vbi legitur: In pustulis ad cutem efflorescentibus materiã redundantem euacuari posse, nec timendum retrocessum eorum succorum qui ad cutem vergunt: Quod etiam elijcitur ex 3. primi de morb. vulg. Egr. 9. Et ex Auic. prima 4. cap. de variolis: Verum si in morbi principio ante quã hęc signa apparere incipiãt, vt in hisce febribus obseruari solet, facta sit secundum exigentiam, corporis temperamentum, ætatem, materiam peccantem, morbi magnitudinem, & vires ad quas maxime semper respiciendum est conueniens vasorum inanitio, his maculis postea apparentibus, & à sanguinis misione repetita, & ab altera per medicamẽtum euacuatione saltem ante decimum quartum Hippocr. decreto de purgatorijs medicamentis abstinendum censeo: At vbi hęc duo maxima pręsidia conueniant, obseruandum est quod habetur 1. 6. de morb. vulg. com. 6. & 4. Acut. 21. & 22. Nempe venæ sectionem præire oportere, subsequi vero medicamentum, ni cibi in ventriculo, aut cruditates in primis venis contineantur, tunc enim vel expectanda est cõcoctio, vel prius facienda est læuis euacuatio aut per vomitum aut per secessum: ex 9. meth. cap. 5. & de cur. per sang. miss. c. 20.

Ad tertium an cucurbitulæ probentur. Contra vsum communem nunquam mihi conuenire posse videntur;

quo

quo quo modo Petticulæ istę apparere incipiant, siue sint à vaporibus malignis, & venenatis à minera putridæ malignæ ębullitionis sublatis, & in cute impressis, siue sint per excretionem materiæ malignæ insigniter putrefactæ: Venenum enim in insigni putredine febrium pestilentiarum ex obstructione facta sitũ est, nec extrudi potest nisi curata putredine quæ venenũ ipsa est, & remotis caussis à quibus ipsa pendet. Venenum igitur educi non potest, nisi remoueatur putredo, & hęc non potest auferri nisi per concoctionem quamobrem per hæc signa intempestiuę elata impossibile est vt quis à morbo liberetur. Quo casu cucurbitulas non conferre satis patet: per putredinem intelligo materiam corruptam & non quæ in via est ad corruptionem. Si vero excretio petticularum sit materiæ insignis malignitatis, quod vix credere possum, cum sit absque cutis lęsione, vel est omnino critica, vel omnino symptomatica, vel media quæcunque ea sit in principio motus, & dum fit iudiciũ non est adiuuanda, per Aph. quę iudicantur, & iudicata sunt integre neq; mouere neque nouare aliquid siue medicamẽto siue aliter irritando, sed sinere: Quod obseruauit Hipp. in Metone, qui neque in quarto neque in quinto sanguinem à nare fluentem adiuuauit, sed à facto iudicio cum minus iuxto fluxisset, vt suo loco declarabo. Ergo communis vsus cucurbitularũ applicãdarum cum primum incipiunt apparere petticulæ, vt mos est, tanquam eroneus, & præter rationem explodendus est: In exquisita crisi quæ nunquam fit absq; signis concoctionis, si perficitur, nihil agendum, si non perficitur, in hac petticularum excrettione, non est cucurbitulis adiuuanda: Nam materia quę remanet cum sit crassa & terrea ac veluti humorum combustorum cinis, non est apta vt per cutem euacuetur, quapropter cum locus non conferat, non eget cucurbitulis, sed medicamento;

de cõsti. Armed. cap. 19.

to: Si quis tamen velit in hac crisi imperfecta ob virium imbecillitatem, & non per materiæ deffectum, cucurbitulas conuenire non inficio, cum de his propositus sermo non sit, sed de ante statum prorumpentibus: In crisi quæ dicitur media, si portio tantum materiæ peccantis sit cõsta, vel aliquo modo superata, reliqua vero cruda vt in Augumento esse potest, & Natura propter aliquod irritamentum crisim præueniat, propter quod tantũmodo excernat quod excerni potest, & ad excernẽdum est aptius, etiam si inde aliquod videretur sequi iuuamentum, non tamen vlterius cum cucurbitulis vel aliqua alia re adhibita exterius vel interius irritanda est Natura ad mouendum quod crudum remanet, etiam si adiunctam habeat malignitatem, cum id fieri nequeat nisi cũ magna & violentia, & agitatione quę vires opprimere & morbum augere possunt: Et propterea iubet Hipp. cruda non moueve nisi turgeant: Est enim cucurbitula instrumentũ à Medius excogitatum ex alto ad violenter attractum, ex 4. meth. & 14. & cap. 7. & 19. quæ plus mouet, & attrahit quam euacuet: Quapropter vel ex superflua & intempestiua euacuatione, (non enim amplius mittẽdi sanguinis indicationes nempe plenitudo, & virium robur, tũc temporis vigent) vel ex agitatione materiæ venenosæ attractæ, & non euacuatæ æger perimi potest: Sanguis autem, qui in vijs est, vt pote in venis à caua ad cutem pertingentibus, qualis sit sciri non potest, Verum si bonus, vt fere semper videre licet in prima cucurbitularum cum incisuris affissione, euacuandus non est cũ quantitate non peccet, plenitudine iam in principio morbi euacuata: Si malus, rationi consentaneum videtur, eo per cucurbitulas extracto à maioribus venis in quibus putredo est, alter eiusdem, vel pecoris notæ eius loco succedat: & sic res in idem redit discrimen: Non est igitur iugulanda nec exasperan-

spernenda natura, neque in concoctionis opere submouenda, sed seruanda, & cum his adiuuanda quæ per manifestas & occultas qualitates morbosæ malignitati opponuntur, ut quod reliquum est superare possit.

Si igitur ex iam dictis in perfecta crisi, & in prærumpente intempestiue quidem, sed cum portione materiæ vel in totum uel in parte superatæ, per irritamentum, non conueniunt cucurbitulæ: multo minus conuenire poterunt ubi toto morbo existente crudo, sicuti sæpius euenire solet, penitus symptomaticæ Petticulæ extrudantur. Quod per adscriptas rationes sic probari potest.

Prima ratio habetur ex Hipp. sententia 4. Aph. 2. In medicationibus talia educere è corpore qualia & sponte prodeuntia utile, quæ uero contrario modo prodeunt cohibere oportet. Vbi Gal. in Comm. sponte euacuari è corpore dicimus quæcunque sine aliqua medici opera excernuntur, nonunquam ea quæ nostrum regit potentia corpus, ipsum expurgante, non unquam ex irritamento aliquo, aut quia à uasis non contineantur. Cum itaque natura superfluum euacuat, iuuatur animal: Vbi uero alioquin excernitur, casus ratione, neque inde vtilitas ulla prouenit, & talis euacuatio prauæ dispositionis est signum. Si itaque spontinas excretiones, quæ non prosunt cohibere oportet; & in morbo ab excretionibus ob irritamentum factis nulla sequi potest utilitas, imo cum signis cruditatis mala sit humorum euacuatio ex 4. Aph. 22. quando cum malis etiam bona excernantur. Ergo nec ab arte tales euacuationes sunt procurandæ. Non igitur affigendæ cucurbitulæ, ubi morbo existente crudo per uim naturæ illatam Petticulæ efflorescunt.

Secunda ratio summitur ex 2. primi de morb. vulg. tex. 37. vbi ait Hipp. Violenta uel opprimunt, uel nihil iuuant. & Gal. in Comm. Qui procedunt morbi concoctionis

coctionis difficultate, & copia crudorum humorum, nullum ab excretionibus consequuntur emolumentum, valdæ enim violentæ excretiones vires opprimunt, & quæ tales non sunt, nihil iuuant, quæ cum etiam duplices sint, nihil proficiunt quæ coctionem non habent adiunctam quia multi relinquuntur humores; qua propter nihil commodabit absque concoctione quicquam. Si igitur in morbo crudo valde violenta sic sunt naturæ inimica, vt eius vires opprimere possint & quæ talia non sunt etiam si reiterentur nihil proficere, profecto cucurbitulæ siue multam siue leuem violentiam afferant, conferre nō possunt; ergo non applicandæ, ne interius à morbi vi irritata natura, si etiam exterius à cucurbitularum vsu amplius irritetur, facilius opprimatur & cadat, quæ in huiusmodi morbis maxime est conseruanda.

Tertia ratio elijcitur ab eiusdemmet libri textu sub sequenti 38. quo loco Hipp. sic scriptum reliquit. Papulæ paruæ quæ non essent excernendis morbis statimq; euanescebant, aut secundum aures tumores nigricantes, qui nihil denunciarent & Gal. in Comm. omnium quæ tunc inciderant incommodorum, erat caput cruditas humorum quod si quando per vim natura ad aliquos eorum excernendos aggressa esset, nihil proficiebat, imo vero ab his superata, aut in profundum recurrere, permissit aut propter paucitatem excretionum abscessum moliebatur. Si igitur in febre pestilenti in qua materia putrida admodum venenosa est, excretio papularum ad cutem per vim naturæ illatam nihil confert, imo potius nocet, ex 3. de cris. x, eo quod in ipso motu violento, & expulsione intempestiua natura defessa superetur, profecto motus ille uiolentus adiuuandus non est, vt materia venenosa, vt dici solet, ad cutem detrudatur. Ex quo loco etiā inferri potest, neque in recurrantibus cucurbitulas conuenire

uenire. Indicat enim retrocessio naturam à morbi sæuitie iam oppressam & superatam esse. Quod si tunc temporis ægra & languida per vim iterum ad expulsionem irrite-tur, rationi consentaneum est, vt virtus deficiat, & ægri iugulentur, qui solo pronostico sunt potius relinquendi.
Quarta ratio habetur ex 3. de diebus Decret. 8. quæ talis est, preuenire crisim, quod Hipp. prærumpere appellare consueuit malum est, nam idonea cum his quæ simul lædunt excernuntur, fitque hoc natura incitata, vel ab esteriore quodam, vel ab his quæ in ipso corpore detinentur: extrinsecus igitur est Medicus qui parum recte id fecerit, & æger, & famuli, atque alia quæ propriè esteriora nominantur. In corpore offendunt morbi ipsi eorumque caussæ, & accessiones. Considera iam mihi tale quid in natura accidere, quod in hominibus infirmis contingit, qui à fortioribus irritati pugnantes, superantur. Quin etiam onus deponere quis volens, interim vel inuitus cum eo concidit. Item vehementius quis currens, deinde seipsum retinere nequiens inuitus contra conuallem delatus est quæ omnia malis iudicijs attribuuntur. Si igitur excretiones ante crisim prærumpentes ob aliquod irritamentum per vim naturæ illatum malæ sunt, & periculosæ, ne virtus prostrata superetur, profectò damnandi Medici illi sunt, (vt inquit Gal.) ceu parum rectè operantes, qui intempestiue naturam incitant, & vi cucurbitularum, vel quouis alio modo ad expulsionem impellunt. Quinta ratio addi potest ex Aetio. lib. 5. cap. 129. vbi de Vibicibus à febre maligna sic ait. Deteriores sunt plures quã pauciores ergo non attrahendæ.
Accedit sexta à conferentia, in apparentibus enim huiusmodi signis, morbo existente crudo, morbus ipse augetur, & per cucurbitulas affixas vt ab omnibus obseruari potest, non modo non iuuantur ægri, sed maxime

delinquit. Subsequitur, enim morbi vis maior, & symptomata fortiora, cum malis vrinis, ac virium imbecillitate. Quæ omnia ex 3. de cris. cap. x. ad malas crises attribui debent ex illata vi naturæ cum humorum agitatione factas: Vnde obstructiones, & putredo, malignæq; euaporationes multiplicantur. Et malas crises si non prohibendas, saltem non adiuuandas; omnibus in confesso esse arbitror. Quapropter qui sic curati euadunt: Dei Optimi Maximi beneficio, & uirium robori, ac reliquis adhibitis præsidijs, & quia non admodum maligna fuerit materia, id potius quam huic opi attribuere possunt. Quod si pereant, profectò cucurbitulæ vitio non carent.

Adhæc reprobari potest hęc opinio, quoniam apud Hipp. Gal. Paulum Oribasium Alexandrum Aetiū, Auicennam in quibusuis pustulis papulis, phimatibus vibicibus exanthematibus, Variolis, & morbillis, & quibusuis alijs cutaneis efflorescentijs, id auxilij genus non fuit in vsu: Aetius præcipue de his maculis ab huiusmodi febre maligna pulicum morsibus simillimis, de quibus lib. 5. cap. 129. curam exarauit medicamentum affert ex aqua oleo, & modico nitri; ex quo iubet illiniri, & læuiter fricari corpus: cui, vt inquit, in profundo ebulientē materiam refrigerandi, & non attrahendi inest facultas, vt videre licet, oleum enim cutem emollit, & relaxat, vt inde putridi vapores sublati transpirare possint: aqua refrigerat, & humectat, Nitrum in cute sordes digerit, & detergit. De cucurbitulis, ne verbum quidem, & tamē in duobus capitulis subsequentibus de tremore, & conuulsione vt symptomata ad istas febres superuenientia cucurbitulas probat. Rasis eas renuit, quod indiscrete trahant, nec seligant materiam peccantē. Eugenius hoc nostro æuo vir doctissimus, & primarius in suo tractatu

de sanguinis missione in morbo pulicari, seu de petticulis cucurbitulas reprobat.

Excellentissimus Mercurialis in his maculis symptomaticę apparentibus, & factis à principio euacuationibus cucurbitulas non probat, sed inter præcipua remedia istas maculas, si latæ sint scarificare proponit, non vt copia sanguinis inde exeat, sed vt aperta cute possit illa sanies pestifera exhalare. Veruntamen cum maculæ istę nullum afferant dolorem, nullumq; calorem neq; in parte corruptionem, neque etiam saniem continere possunt. Putredini enim cõmune munus est, vt illas partes in quas impingat corrumpat ex 3°. 3°. de morb. vul. comm. 25. quod magis euenerit si materia fuerit maligna, ni forte vaporosum effluxum intelligat, qui etiam scarificatione non eget.

Contra tamen hanc opinionem obijcitur eorum ratio qui dicunt: quod natura contra morbi venenum pugnat vt illud quam primum ceu exitiale inimicum à quo perimi subito potest, eijciat, nulla expectata coctione, quoniam non datur tempus, & propterea adiuuanda sit, & quo vergit eo ducere conueniat, vt vim vi repellere possit. Et sic cucurbitulas conuenire, vt tota veneni vis, vel saltem pars ea, quæ in vijs ipsis remorari potuit, ob expultricis imbecillitatem, ad cutem attrahatur, ne ad aliquod princeps membrum ruat.

Quibus obiectionibus sit respondendum esse arbitror: venenum vt dictum est supra in insigni putredine istarum febrium malignarum situm est, nec estrudi posse nisi curata putredine, & remotis caussis à quibus ipsa pendet, quæ auferri non possunt nisi per concoctionem Nam & quæ toto genere præter nãm sunt, & exitiosa sicut venena, ea etiam egent alteratione, quæ vel à tota substantia, vel qualitatibus sint contraria antequam euacuētur

ex

ex Gal. de constit. med. cap. 19. Cum igitur hæc expulsio symptomatica sit, & motus inordinatus, & violentus, non est vlterius natura cogenda ne per intempestiuam excretionem à qua iuuari minime potest, citius interimatur. Coacta enim nihil recte operatur: Aph. autem docet vt sequamur naturam recte operantem, hic igitur locum non habet.

Non desunt qui dicant, humorum cruditatem non prohibere, cum satius sit à nobilioribus partibus ad ignobiliores transferre materiam pestilentem sic enim aliquando Trallianus, & Aetius in pleuritide cruda, & Angina, & Gal. in Apoplexia admouent cucurbitulas partibus affectis, & metasyncritica appellata.

Huic oppositioni iam satisfactum est supra ex mente Hippocratis, & Galeni. Nunquam materiam crudam in vasis putrescentem, etiam pestilentem, & venenatam siue à natura, siue ab arte excretam prodesse posse; per hanc etenim excretionem natura, vel defficit, vel nihil denuntiat: in quibusdam inflammationibus præter naturam internis qui non sunt à symptomatica expulsione, sed per defluxum, vbi amplius materia non fluit, & corpus fuerit euacuatum, quandoque conferre potest cucurbitula cum ab affecta parte id quod in ea continetur iam à familiaribus succis seiunctum, euacuare sit conueniẽs ex 2. ad Glauc. cap. 2. & sic in Angina in mora periculo existente, sic & post septimum in pleuritide cruda faciendum esse refert Aetius: Appoplexia propter reuulsionem, & propter vrgentem necessitatem, vt idem animaduertit Aetius, permittit, & cogit temere omnia tentare: Matasyncritica appellata, non nisi cæteris omnibus peractis applicantur. Quod si Galenus in clarissima Romana in principio emplastrum de fimo palumbino, & capsia capiti imposuit, vt patet 5. Meth. cap. 13. non

fuit

fuit vt materiam in pulmone contentam auelleret, sed à capite fluentem prohiberet.

Victor Trincauelius Philosoph⁹, & Medicus Preclarissimus in suis lectionibus impressis de febre pestilenti circa finem hanc quæstionem mouet, & ipse etiam pluribus rationibus communem opinionem tueri profitetur: Et primo ponit hanc diuisionem. Quidam censere eam expulsionem tamquam vtilem accipiendam, & adiuuandam, attrahentibus nimirum auxilijs ad superficiem mãteriam noxiam, quam natura expellere conatur. Vnde & frictionibus vtuntur, & cucurbitulis incisis scalpello, & sine etiam incisione. Alij vero his aduersantur, & contendunt, potius quam adiuuandam hanc expulsionem prohibendam, & diuertendam esse, propterea quod motus sit symptomaticus, & factus à natura, quę multitudinę grauata, & qualitate irritata, ad cutem simul bonos humores cum malis transmittit. Quare inferrunt, quod qui cucurbitulas prius affigunt apparentibus his papulis, mox vero eis incisis sanguinem detrahunt ægros seruaturos dum credunt, illos interficiunt. His sic distinctis multas positiones subiungit. Quarum hæc est prima. Qui asserunt in apparentibus papulis non esse affigendas cucurbitulas, multa ignorantiæ caligine obsessi sunt, vt qui cortici verborum dumtaxat insistentes ad medullam rerum nunquam perueniunt, neque veram sententiam assequuntur. Qua in re quædam repetemus, vt errores quorundam extirpemus, qui dum plus alijs sapere videri volunt, alios damnantes, & communem opinionem euertentes, suam apertissimam detegunt ignorantiam. Secunda quod Papularum expulsio fiat à natura per crisim inde apparet, quod his apparentibus, multos liberari videmus.

Tertia euacuationum, alia omnino critica, alia omni-

no symptomatica; alia media, quæ omnino non est critica, neque symptomatica penitus, sed potius iuuat quā nocet, & interdum per eam factam aliquantisper læuatur natura, & morbo mitiori facto, in reliquum excrementitio humori incumbens, facilius ad concoctionem peruenit. In crisi perfecta nihil mouendum, per Aph. Quæ iudicantur, & iudicata sunt integre. Neque penitus symptomatica adiuuanda ex primo Aph. 21. & 26. & secundo, primi de morb. vulg. vbi legitur: sudores multi adeo aberant, vt recrearent, vt etiam contra læderent, quia summa eorum cruditas erat, & potius contingere ex nimia humorum copia, & quia natura non poterat eos regulare, & continere, quam quod sponte eos moueret, quæ excretiones non erant adiuuandæ, cum ab his magis vires deijciantur. Quod etiam probatur paulo infra vbi habet, Papulæ paruæ quæ non essent excernendis morbis, & reliqua. Euacuationes autem mediæ inter penitus criticas, & symptomaticas imperfectæ, vel deficientes appellantur, vel sine insigni aliqua concoctione præcedente vel non decretorio die factæ sunt, & propterea morbum integre non iudicari. Vnde sequuntur recidiuæ à quibus interdum ad interitum deducūtur ægroti. Interdum verò læuiores aliquantum per priores excretiones facti, deinde interim integre iudicati sani euadunt.

Quarta iuuari à Medico debent motus illi, qui neque omnino critici sunt, neque omnino symptomatici, sed medio quodam modo se habent, quia motus naturę sunt fortioris quidem eatenus cum morbo contendentis, à multitudine autem, vel mala qualitate coactæ, non expectata maturatione nitentisque malam materiam ex parte saltim expellere, vt mox aliquanto facta læuior, reliquum facilius coquere possit, vt 2. Aph. 29. Hip. testatur,

tur & Gal. in commento. Et exanthemata omnia per cutem efflorescentia, & bubones, & carbunculi, fiunt à natura pugnante cũ prauo morbo, ac morbificas caussas, quãtum fieri potest, remotius à præcipuis membris, sanguine expurgato conante protrudere ad extremas, vel minus necessarias particulas, ex Gal. de Atrabile cap. 4.

Quinta, materia turgens media est inter motum symptomaticum, & criticum, quæ materia statim est euacuãda, & non modò in turgentibus morbis, verum etiam in illis, in quibus natura incipit quidẽ euacuare quãuis ante apparentem concoctionem, parcè tamen, & non quantũ ipsa iuuari possit, vacuat, iuuare eam nos debere testmonio Hipp. & Gal. in historia Metonis descripta in 3. primi de morb. vul. tex. 24. Aegroto. vij. in cuius iuditio imperfecto, & absque signis concoctionis, vt adiuuaret euacuationem sanguinis per nares, caput lauit, & fęliciter successit. Ad maiorem probationem adducit exemplum de Horophonte, & eius, qui in Dealcis horto ægrotabat, qui iuuati fuerunt transmissa parte malorum humorum primo ad lienem, deindè ad pedes. Adducit etiam historiam Sileni in tex. 19. & verba Gal. in Com. quę sunt hęc. Octauo papulas cum sudore frigido habuit rubentes, rotundas, paruas, natura eius morbo repugnante, & humorum superfluitatem malorum ad cutem propellente: idque fuit caussæ, cur die nono non sit mortuus, sed vndecimo: Quod si die octauo nihil tale accidisset, restabat, vt nono obiret. Ex quibus infert crises symptomaticas deficientes, & imperfectas iuuare, & propterea adiuuãdas esse. Et, quod non est silentio prætereundũ, tanta est contradicendi libido, & sui ipsius iactantia, vt Hippocratem, quem Gal. in Iuditijs presertim, & peritissimum, & mirabilem, & diuinissimum appellat, vir iste reprehendere audeat subiungens, si ea expulsio vel natura, vel arte,

copiosior facta fuisset, longè melius res habuisset. Nulli igitur mirum sit, si alios exprobet, contumelijs afficiat, ac eorum iustitiam vitio vertat.

Sed & illud (inquit) addamus, nonne & carbunculi, & bubones, & parotides, quæ in pestilētibus febribus omninò apparent, eadem ratione extuberant, qua & papulæ? natura videlicet expellente vitiosos humores, quātò potest longiùs ab internis visceribus, & antè vllā cōcoctionem: symptomatica ergo expulsio, quam tamen omnes iuuare omni tempore nituntur: Nam nullis repellentibus vtūtur, sed potius his, quæ exterius attrahūt, ita vt, & scarificent, seu scalpello summas partes incidant: Vana est igitur horum oppositio.

7 Experientiamet comprobatum, in pestilentia melius esse plures carbunculos apparere, quàm vnum tātum, sic & bubones longè salubriores plures paucioribus.

Sed & hoc adijciamus, quòd non possumus non nisi de quibusdam mirari, qui omni ope contendunt non esse affigendas cucurbitulas, & incidendas, eò quòd papularum expulsio sit symptomatica, nec iuuanda, & tamen ipsi postea vtuntur illinitione ab Aetio, ex Herodoti sententia decerpta, quæ ex oleo, aqua, & modico nitri paratur, cui uis est trahere materias ex profundo ad cutem, non permittere papulas retrocedere: Atq; ita, cū non esse iuuandā symptomaticā expulsionē cōtendāt, mox ipsam iuuant: igitur sibi ipsis non constant: nam vel nullo modo iuuanda, vel si sit iuuanda, falsum est symptomaticū motum non esse adiuuandum: neque animaduertunt antiquos autores eam adiuuari voluisse.

Quod si dicant, vires languere, & propterea non sustinere sanguinis missionem, falsa dicunt, cùm sæpè Autores velint copiosum sanguinem laborantibus febre pestilenti mittendum esse secta vena, sicuti miratur Gal. cur

Hipp. Critoni ſanguinem non miſerit.

Hæc ſunt, quæ vir præſtantiſſimus in medium adducit, vt communem, ſeu vulgarem opinionem tueatur de cucurbitularum applicatione in Petticulis apparentibus, quas ipſe indecẽti nomine papulas appellat: cum papulæ ex tertio, tertij de morb. vulg. com. tex. 51. vlcuſcula ſint in cute extuberantia: quibus omnibus facilis eſt reſponſio, vt infra patebit: Qua in re ſatis mirari non poſſum, quomodo vir doctiſſimus, cũ aliena malè reprehendat, & alios exprobrando iniurijs afficiat, vt neque etiam Hippocrati parcat, ſua placita contra Hippocratis, & Galeni decreta literis prodiderit, vt non iniuria ipſemet reprehendi poſsit, cum in re tanti momenti, vbi agitur de hominum vita, ſuis rationibus, & inductionibus incautos Medicos tanti viri autoritate circumuentos impellat, vt carnifices euadant.

Ad primam igitur ſuam poſitionem ſic reſpondeo: Qui vulgarem, & communem conſuetudinem ſequuntur, cum primùm petticulę apparere incipiunt, ſtatim applicant cucurbitulas: At, dum fit criſis, ſeu iuditium nihil mouere ſiue medicamentis, ſiue aliter irritando iubet Hippocrates, quod ipſe obſeruauit in Metone: igitur cõſuetudo mala; Ergo reprobanda, iuditium enim à ſucceſſu probatur: Hæc ratio adeò manifeſta eſt, & cõſuetudinem illam vulgarem adeò euertit, vt dubitationi nullus relinquatur locus.

In ſecunda: concluſio nihil probat: Nam, ſi multi liberantur, (vt ipſe ait) plurimi etiam moriuntur, vt alij vident, & obſeruant, Quapropter ab effectu nulla fit probatio: Præterea hic aſſummit criſim pro iudicio ad bonum, quod omnino eſt falſum, Nam petticulę fere ſemper abſque ſignis concoctionis in augumento prærumpunt: Et propterea ſunt ſigna prauæ diſpoſitionis, & malignitatis,

quæ potius malum, quàm bonum præseferunt. Vnde Medici his apparentibus non modò non ſperant, ſed valdè de interitu timent: Et, vt dicam, quid ſentiam, hęc expulſio critica mihi non videtur, cùm neque inſignis ſit, neq; ſequatur ſubita mutatio ad bonum, vel ad malum: ſed, vt experientia docet, de augumēti more procedit morbus, quia per haſce morbifica cauſſa, quę inſignis eſt putredo, non euacuatur, ſed ab ea tantummodo fuliginoſi vapores ſublati pellem inficiunt: Quapropter dicenda ſunt potius ſigna malignitatem indicantia, quàm critica euacuatio.

Ad tertiam: ſpontina euacuatio, ex 4. Aph. 2. vel fit à natura rectè expurgante quod noxium eſt, vel ſymptomatis, ſeu caſus ratione, & vi morbi: primo modo ſequitur criſis optima, & morbi ſolutio, quæ nunquam fit ſine ſignis concoctionis, & propterea confert, & læuiter ferunt. Qua in re quoties natura euacuationem abſoluit, nulla inſuper opus eſt medicina, cùm autem vel mediocriter, vel ſegnius peragit, quod deeſt, Medicus ſuplere debet, quia, cùm tota materia ſit cocta, tota etiam ſimul eſt euacuanda: Secundo modò fit vel natura penitus ſuperata vi, ac malignitate morbi, ac virium imbecillitate, & ideò ſymptomatica omninò, & peſsima criſis; vel fit natura irritata quidem, ſed viribus adhuc firmis, & minime ſuperata. Et hæc media eſt inter peſsimam, & optimam, & deficiens, vel imperfecta appellatur: Iuditium enim non integrum neceſſario fit, inquit Gal. primo tertij de morb. vulg. comm. 4. eo quod haud dum coctus ſit morbus.

Prima ſemper fit cum tollerantia, & conferentia, ſecunda neutrum habet, tertia aliquando fit cum conferentia, aliquando non: vtroque modo ſemper periculoſa, & nunquam in acutis, vel malignis morbis tuta. Et

in hac,

in hac, ſiue ſit cum quibuſdam ſignis concoctionis, ſiue cruditatis, vel malignitatis contra eius quartam poſitionem Medicus nihil mouere debet, ſed tantummodo concoctiones adiuuare, naturamq; roborare, & antidotis opportunis malignitatem oppugnare, prout fieri poteſt: Nam, quę in euacuationibus imperfectis in crudo morbo, ~~vel in cocto~~ relinquuntur, cruda ſunt, & cruda non ſunt mouēda, niſi turgeāt. Euacuationes.n. quæ in augumento fiunt, vel ſunt penitus ſymptomaticæ à cruda penitus, vel praua materia, quam natuta non attingit, niſi coacta, vel aliquo modo ſuperata & ſemicocta: à cruda penitus, & praua ſemper ſequitur mala tollerantia, nocumentum, & mors tandem: Quare nullo pacto adiuuandæ ſunt ex Gal. ſentētia, & vt ipſemet aſſerit in ſua tertia poſitione, & probat in curatione febrium cū accidētibus, vbi ſic ait:

Euacuationes, cùm non coctus ſit morbus, nullo modo criticæ ſunt, ſed potius fiunt à natura coacta, & irritata à multa copia, aut à praua humorum qualitate. Vndè per hos eſſluxus eo tempore non ſubleuatur, ſed potius turbatur, & exagitatur, & vires redduntur imbecilliores; quarè longè etiam magis deijcientur, & magis natura perturbabitur, ſi vacuatio vacuationi addatur, neque tamen lęuior fiet, ſed magis grauabitur ſpiritibus reſolutis. Et in lectione de loco putredinis in febre intermittenti, iterum dixit, aliquando natura irritata quaſi effrenitans cogitur vel à multa copia, vel à praua aliqua qualitate expellere, quæ tamen expulſio ſemper mala eſt; vnde Hippocrates plurimum damnauit rigorem in ardēte febre, quando febrem non ſoluit, quippe quia oſtendit malā criſim, & expulſionē potius ſymptomatice, quā ſponte à natura factam. Hæc ille, qui ſuiſmet dictis facillime conuincitur, cum aſſerat, & probet prærumpentes criſes, quales in augumento ſemper ſunt, eſſe malas, &

propte-

propterea non adiuuandas: Aphorismus 29 lib. 2. per cum adductus ad rem nihil facit, cum de faciendis euacuationibus in principio morbi natura nihil mouente loquatur,& non de intempestiuis in progressu.

Quòd si in prærumpente crisi quandoq; aliquod sequi videatur iuuamētum,eo fit,quia pars materiæ expulsæ cocta sit,vel saltem semi cocta,& quodammodo à natura superata: fieri enim nullo modo potest, vt ipsa subleuetur nisi per expulsionē morbificæ caussæ aliquo modo superatæ. Alionquin,si à symptomatica euacuatione materiæ crudæ sequeretur iuuamentū,oīa Hipp.& Gal. dogmata,& Medicinæ principia destruerentur: nam per successus malos, & bonos distinguitur naturalis à symptomatica euacuatione: quod testatur Gal. in libro de optima secta cap.28. iniquiens: Hipp. nullum habuit signum distinctiuum inter excretionem naturalem, & symptomaticam, sed solum ægro iudicandum reliquit; dicens si talia purgentur, qualia purgari opportet, confert, & læuiter ferunt; volens per hoc denotare, cum nō posit haberi perfectum iuditium nisi ex his, quæ subsequuntur, maximam esse difficultatem distinguere criticam à symptomatica: & propterea huiuscemodi crises prærumpentes nunquam sunt tutæ: nam subindè,vel morbus augetur, vel recidiuæ fiunt. Ex quibus iterum æger in periculo versatur, & quandoque etiam moritur. Nam etsi materiæ pars,quæ à natura quodammodo est superata,expellatur, ex cuius expulsione aliqua sequatur alleuiatio, tanta tamen potest esse copia, vel malitia remanentis, vt ægrum perimere posit. Non propterea illa euacuatio, quia imperfecta,adiuuanda est, cùm ista imperfectio ex naturæ deffectu non sequatur: expulit enim,quod tunc temporis aptum erat ad expulsionem, & expelli potuit; sed ex relictæ materiæ vitio, quæ cùm

cruda ſit ad euacuationem non eſt apta. Sic euenit Pario, cuius hiſtoriam prodidit Hipp. 3. 3. de morb. vulg. tex. 72. qui ſæpe à febre liber fuit, & tamen centeſimo vigeſimo die obijt. de quo Gal. in comm. ſic ſcripſit. Atqui videtur imbecilla fuiſſe natura, quæ iuditium ſæpe moliretur, nihil tamen proficeret, quoniam prauitate humorum ægrotabat, quæ ſuperari non poterat. At quo modo febris intermittebat? nempè expurgata humorũ parte, quæ putreſcebat: Tot criſes imperfectæ erantnè addiuuandæ? nequaquam, quia humores, qui relinquebantur, erant praui, & crudi, & proptetea coctione, & nõ euacuatione, indigebant. Ad hanc noſtram opinionem confirmandam pro his, qui magis auctoritatibus, quàm rationibus hærent, ex multis hæc pauca adijciam.

In tertio de criſ. cap. 5. inquit Gal. ſi in die decimoquarto ſpes ſit forè ſtatum, & aut ob morbi magnitudinẽ, vel motus velocitatem, vel propter aliquod aliud extrinſecum irritamẽtum criſis die vndecima anticipet, neque ipſam perfectam, neque omnino bonam quimus ſperare, ſed hoc tempore omnino timendum eſt, præſertim ſi neque in totum periculo morbus vacat.

In tertio tertij de morb. vulg. comm. 73. ęgroto 12. inquit Gal. licet natura ſtuderet illicò redundantiam ad coxendicem deponere, nihil contulit, octogeſimo obijt, quia nulla erat coctio. Erantnè quæſo applicandæ cucurbitulæ, vt naturæ motum adiuuarent? minimè gentiũ, quia antè concoctum morbum nullum quemlibet abſceſſum proficere teſtatur Gal. primo tertij, com. 5. & hæc ſola auctoritas ſufficere poteſt ad impugnandam, & reprobandam opinionem huius viri, & aliorum, qui pręter rationem in carbunculis, & bubonibus in morbo crudo applicant cucurbitulas.

Aegrota 13. in quinto die ſicut, & Meton, tum ſignis

crudi-

cruditatis per sudorem iudicata fuit, sed imperfecte, à septimo enim per tres dies febris intermisit, vndecimo rediijt ad 14. sudauit, & liberata fuit.

In Cleonactide septuagessimo die febris intermisit decem dies, octuagessimo febris acuta inualit, & per sudorem iudicata fuit. Recidiua ait Gal. facta fuit, eo quod residui quidã humores crudi relicti fuerunt, quibus paulatim coctis, octuagesimus absolutum iuditium attulit. In vxoris Epicratis longo morbo vsq; ad octuagesimum diem multæ crises, & omnes imperfectæ factæ fuerunt, à quibus subindè acutè febricitabat.
Cherion igne correptus septimo per sudorem iudicatus fuit, octauo febris intermisit cum quibusdam signis concoctionis, nono repetijt, ad diem quartum decimum febris acuta, septimo decimo riguit, febris acuta, sudauit, febre est decretoriè liberatus, octauo decimo non nihil incalescebat, aliquantulum sitiebat, vrinę tenues, suspensiones nebulosæ, paulum delirauit, planè vigesimo est iudicatus. Vndè quæsò tot crises, tot exacerbationes, & tot recidiuæ? nulla alia de caussa, nisi quia natura sæpius irritata eam partem materiæ euacuabat, quam superauerat, indè sequebantur alleuiationes, & febrium intermisiones, à remanenti incocta, & cruda recidiuæ, & iterum exacerbationes. Animaduertendũ tamẽ est, quod non oẽs euacuationes criticæ sunt, sed illæ tantummodo, in quibus cum subita mutatione, vel ad bonum, vel ad malum ægri iudicantur, & istæ adiuuandæ non sunt, quamuis imperfectæ, quia cum superadditis euacutionibus perfici non possunt, neque recidiuæ impediri etiam ritè omnibus adhibitis, vt habetur ex Gal. 1. de diebus Decret. cap. 1. quod enim relinquitur prauum, & crudum est. Alioquin dignus fuisset Hipp. repræhensione, qui morbos in longum cum summo di-

scrimine protrahi permisisset; in morbis autem, in quibus vel nullę fiũt euacuationes, vel inutiles, Medicus pro cõcoctionum notis supplere debet. Sed de his hactenus, quę fortasse prolixus à me, quàm in re notissima par erat, dicta fuerunt, quod tamen libenter feci, vt dilucidiùs cognoscatur symptomaticas euacuationes vel non iuuare, vel si aliquo modò iuuent, adiuuandas tamen non esse. et vulgarem illam opinionem de applicandis cucurbitulis in Petticulis apparentibus, tanquã à veritate, & Hippocratica doctrina alienam, esse reprobandam. Reliqua ad confutationem autoritatum, quæ à Trincauelio adducuntur, quam breuiter fieri poterit, perstringam.

In quinta positione ponit turgentem materiam mediã inter motum criticum, & symptomaticum, quod falsum est, quoniam turgens tota cruda per Aph. & motu inordinato agitatur, igitur motu symptomatico, & non critico: quod probatur 2. decret. 2. Præterea hæc sententia ad rem nihil; nam humores sunt, qui turgent, & furiosè per internas corporis partes vagãtes ægrum quiescere non permittunt, & quia exitum non habent, propterea statim egent euacuatione, ne ægrum perimant, eoq; magis, si etiam sint maligni, vt euenit Critoni: At materia, quæ cutem maculat in Petticulis est vapor, qui non turget, & exitum habet, & propterea cucurbitularũ ope non eget, vt satis, superq; probatum est: Quod si pars aliqua vaporis huiusmodi per intima moueatur, tutissimis, & mitioribus auxilijs interiùs, & exteriùs adhibitis, quæ malignitati opponuntur, facillimè in euasuris superatur, nam in morituris virtute prostrata omnia sunt vana. Vlteriùs, vt probet euacuationes à natura imperfectas, etiam symptomaticas adiuuandas esse Hipp. exemplo Metonis historiam producit, cui in die quarto de nare dextra sanguis paulatim fluxit cum signis cru-

ditatis, vrinis nempè subnigris, in quibus subnigra pendebant, dispersa, in die quinta profluxit merus, affatim sudauit, iudicatus est; à iuditio insomnis erat, delirauit, vrinæ tenues, subnigræ, caput lauit, dormiuit, mente cõstitit; In quo casu animaduertendum est, cùm iuditium factum fuerit ex sanguinis profluuio, & sudore, Hippocratem non adiuuasse sudorem, sed sanguinis fluxũ, quia pro plenitudinis ratione minus iusto fluxit, à qua in magno morbo vnà cum virium robore mittendi sanguinis summuntur indicationes; in quocunq; enim die mittendi sanguinis scopos in laborante inueneris, id præsidiũ adhibendum, etiam si vigessimus ab initio extiterit, iubet Gal. Quòd in Metone adesset plenitudo, declarat in com. sic dicens, Non est negligendum præterea, quod est, cùm tertium diem exponeret, dictum, (grauitas capitis,) vndè capitis repletio significatur, & rationi consentaneum videtur, Hippocratem accersitum nõ fuisse nisi in die tertio, vel fortasse non antè quartum, cum priùs de vrinis nullam fecerit mẽtionem, quod non prætermisisset, alias verò notas ex relatione scripsisse, & propterea sanguinis missionem in Metone factam non fuisse; Incongruè igitur Trincauelius hanc actionem ad purgationes transtulit, in quibus à concoctione summuntur indicationes: Quinimò hoc loco non iniuria redarguuntur vsum communem sequentes, qui statim, cùm Petticulæ apparere incipiunt, & criticam euacnationem esse velint, nullo tamen expectato iuditio applicant cucurbitulas: Non.n. Hipp. in quarto, vel in quinto die sanguinis motum, minus iusto fluentem adiuuit, sed à facto iuditio præsidium applicauit.

Quo ad Horophontem attinet, quinta die lien intumuit excepta parte malorum humorum, quod inter signa mala id boni fuit: nulla profectò alia de caussa, nisi quod

virtu-

virtutis robur indicauit: octauo die à liene cum signis concoctionis facta fuit transmissio ad pedes, ex quibus melius se habuit, die nono sudauit, iudicatus est: febris intermisit. Nemo profectò sanæ mentis motum naturæ sequendo ad lienem primo, posteà ad crura cucurbitulas applicasset, quia neque motus critici, neque ex his transmissionibus iudicatus fuit, sed ex sudore in nono, qui à cucurbitulis, vel alijs attractionibus impediri potuisset, quod si quid in hoc casu adiuuandum erat, in crisi imperfecta ex sudore excitata, sudor erat, vt à recidiua liberaretur, quod erat impossibile, nam, vt Gal. declarat, reliquias quasdam habebat prauorum humorũ, quæ recidiuam decimoquarto die excitabant, qui tunc temporis ob cruditatem ad euacuationem apti non erãt: idem iuditium ferẽdum est de eo, qui in Dealcis decumbebat horto: Sed & hoc addendum, quòd in vndecimo sudauit, & febre erat liber, & duos dies à febre integer intermisit, vbi Gal. in comm. dixit, confecto dimidio, & infideli ad diem vndecimum iuditio, deinde repetijsse febrem quartodecimo, ijsdem iterum conflictatus symptomatibus: In hoc casu crisis fuit in die decretorio, nõ penitùs symptomatica, imperfecta tamen, & infida, ad quam secuta est recidiua, & cum symptomatibus malignis: Vel igitur damnãdus est Hipp. qui imperfectam ex dimidio crisim non adiuuando, recidiuam, & symptomata praua cum vitæ discrimine non prohibuit, vel vir iste malè sentit, qui euacuationes imperfectas, ac medias inter criticas, & symptomaticas iuuandas docet.

In Sileno papularum expulsio cũ signis omnibus exitiosis octauo die penitus symptomatica pessima crisis fuit, à qua proximè mors superuenit, & non iuuamentũ, vt ipse falsò asserit, & suarum positionum immemor Hippocratem reprehendere non pudet: robustis enim viri-

 bus,

bus, & non papulis, tribuendum erat, quòd in biduum Sileno prorogata vita fuit, vt his verbis monet Gal. Ad diem progressus vndecimum est per virium robur, alius autem æger iisdem ab initio signis, & symptomatibus, validis viribus si non foret, periret ad septimum diem: cùm igitur septimum potuisset superare, octauo adhuc viribus resistētibus natura vltimo conatu à morbo pessimo vehementer irritata papulas illerusit, a quibus non modo non leuata, sed omninò prostrata succubuit, vt in malignissimis, pessimisq; crisibus euenire, in 3. de Crisibus verbis ostendit Gal. Determinati quidem sunt, atque ordinati naturæ motus, cum valida fuerit, & materiæ dominatur, & proprias operationes operatur, indeterminati verò, atque inordinati, atque adeò, incogniti, quando succumbit, sed siquidem integrè superatur, neq; ab initio crisim facere tentat, neq; omninò resistere, & si paulum omninò surgat ad pugnam, statim succumbit, caussæ vero huius intempestiui assultus est morbi violentia irritatrix quędam existens, & acuta: Videtur siquidem natura nihil huiusmodi posse tollerare, sed statim properare ad expellendum id, quod infestat, quod est maximum signum intempestiuæ crisis: Sed cur transacta septima nono non obijt Silenus? non profectò papularum beneficio (excretio enim pessima fuit ex illata vi naturæ,) sed quia viribus erat robustis, potuit ad diem proximum, qui decretorius erat, vndecimum perdurare.

Ad sextam positionem: carbunculi, bubones, & parotides in pestilenti febre, vel fiunt à natura iam morbū superante, & per abscessum expellente, sed segniter, & iustò minus, tunc motus ille adiuuandus est: vel à malignitate coacta, vt supradictum est, & tunc huiusmodi tumores cucurbitulis adiuuandi nō sunt, quia nihil denuntiant, & nullam afferunt vtilitatem toto morbo adhuc

existente crudo, vt patet per Hippocratem 2. primi de morb. vulg. tex. 38. & 84. & per Gal. primo tertij comm. 4. Quòd si in pestilentijs ab Empiricis ex adhibitis præter ordinem, & rationem in centum vnus saluetur, hic prędicatur, & in circulis circumfertur, interfectorum autem nulla mentio: Sic miles victoriam canit, fugas occultat. Accepi ego a Chirurgicijs Genuensibus fide dignis, in peste in ea vrbe vagãte anno 1579. & 80. omnes, quibus bubones acerbi, & carbunculi scarificati fuerunt, perijsse: quibus verò nec cucurbitulæ, neque scarificationes adhibitæ fuerunt maturatione facta eorum plurimos euasisse, sic ad parotidas in Cratistonactę, & Pictoris Ancilla maturantia, & non attrahentia, adhibuit Hipp. 2. primi de morb. vulg. tex. 84.

Septima est contra Aetium, qui asserit Vibices deteriores esse plures, quam pauciores: indicant. n. copiam, & malignitatem maiorem.

In octauá: vbi de alijs miratur, de seipso non cessat admiratio, qui Herodoti medicamento, quod constat ex vncijs quattuor aquæ, duabus olei, & dragma vna, vel ad summum vsque ad duas nitri, attrahendi facultatem à centro ad circumferentiã, sicuti cucurbitulis, atribuit: habet enim ex aqua vim partes internas refrigerandi, & humectandi, ex oleo emolliendi, ex nitro à sordibus abstergendi cutem, vt ea per molles, & lęues frictiones rarefacta, meatibusque reseratis, ad exitum vaporibus via pateat: ergò non sibi ipsis contradicunt, sed rectè operantur.

In nona, & vltima: eos profectò non reprehendisset, qui in augumento repetitas sanguinis missiones formidant, si memor fuisset eorum, quæ in tractatu de febre pęstilenti, paulò supra, vbi agit de sanguinis missione, ab ipso prodita fuerunt, quæ sunt ista.

Venetijs

Venetijs maximè timent sanguinis missionem in ea febre, in qua solent papulæ apparere, & adeò confirmata est in ea Ciuitate hęc opinio, vt si cui fuerit vena secta, qui posteà moriatur, vniuersam caussam referant in venæ sectionē, & nos sæpè videmus in his febribus, in quibus papulæ efflorescūnt, accidere, vt secta vena statim, aut paulo post vires concidant, & pulsus languidi admodum euadant, quamuis in prima visitatione validæ vires apparent: At in quibus mittendus est, statim id agendum in principio, antè quàm magis inualescat, putrefactio, & natura tentet expulsionem ad cutem: Quod comprobatur ex historia Critonis. Hæc illę. Ex quibus patet non errare, qui in augumento morbi sanguinis repetitiones à principio plenitudine iam euacuata timent, & dānant: Nam indicationes mittendi sanguinis in magno morbo à plenitudine, & virium robore assumuntur. In augumento à principio, sicuti conuenit, sanguine misso indicationes adesse non possunt. Ergò tunc temporis repetitæ sanguinis missiones competere non valent.

Si igitur in materia pestilenti, venenosa, corrupta, à qua fit febris: & in altera, quæ aliquam annexam habet malignitatem, sed adhuc naturæ viribus subiecta, ob humorum cruditatem, & malitiam, in Petticulis per cutem apparētibus, carbunculisq;, ac bubonibus, parotidibusq; malignis, cucurbitulas non conferre demonstratum est, eò quòd nulla indè sequatur vtilitas, multò profectò minus si non cum materia, sed per vapores Petticulæ imprimantur, conuenire poterunt: si enim natura sit valida, in hac expulsione vaporosa hoc adminiculo non eget, sed his, per quæ meatus sine agitatione, & molestia aperiuntur, vt sunt molles, ac lęues frictiones: sin autem imbecillis, ex repetitis euacuationibus citiùs succūbet: & impossibile est, vt per hæc signa quis à morbo lęuetur, cū remo-

fieri nō possit affectus caussa, à qua fit adhuc, permanēte.

Sed hic iterum datur dubitandi locus: si Petticulæ fiunt ab excremento fuliginoso, quod sanguinem inficiat, sunt etenim semper sanguinis vitiati signa, quocunq; tempore apparuerint, sanguinis missionem indicabunt. Conuenient igitur cucurbitulæ, & ob motum naturæ bene operantis, quia extrudit id, à quo molestatur, & quia per hanc viam minus læduntur vires, quā per venam sectam, & eademmet commoda sequuntur, nempè totius corporis refrigeratio, & fuliginosæ materiæ malignæ euacuatio, à qua natura maximè vexatur: Neq; secundum hanc per cucurbitulas euacuationem fit violētia, quoniam non repugnat natura, vt in medicamento crudam materiam euacuāte, sed consentiēs propellit, vt in venæ sectione; Ad quæ respondetur: Quòd morbi isti nunquam fiunt absque malignitate, quā Petticulæ præseferunt, quæ vel est in sanguine putrescente, & cum synocha febre, vel in reliquis humoribus vnà cum sanguine: in quibusuis fit putredo, cum plenitudine, & virium robore, conuenit sanguinis missio, si nihil prohibeat: qua facta à principio, vt conuenit, restat tantummodo tunc temporis, vt malitia corrigatur, quia mittendi sanguinis indicationes nō à qualitate, sed à quantitate assumūtur.

Quod motus ille violentus sit, & non à natura rectè operante, & quomodo cucurbitulę violenter attrahant, & non conferant, satis demonstratum est.

Quod si Petticulæ (vt opinor ego) sint à fuliginoso excremento, vel à sanguine, vel ab alijs humoribus sanguinem inficientibus, per cucurbitulas nec accidens, nec caussa tolli potest, à qua tanquam ab igne permanēte fumus, continuò aliæ, atque aliæ suggeruntur fuliginosæ, malignæ euaporationes; Quapropter ad continuam generationem, continua opus est, correctione, & euacuatione, quæ

ne, quæ non conueniunt, per repetitas sanguinis missiones, vnà enim cum sanguine effunderetur anima, sed per ea, quæ malitiam corrigunt, & per ea, quæ insensibiliter euacuant, & viribus non nocent, vt sunt molles, ac leues frictiones, quæ corpus rarefacere, & meatus aperire possunt.

Tertio loco quærebatur: an aperientia, & attenuantia intus assumpta conferant, sicut in Variolis, & morbillis conferre videntur.

Dicendum arbitror: si aliquando istæ expulsiones criticæ fiant; vt aliqui volunt, & febris sequatur diminutio, expulsa pro maiori parte materia conuenire, sicut etiam in febribus debilibus malignis, in qbus semper ad caussam submouendam inspicere oportet; Verùm in istis excretionibus symptomaticis, quæ potius, vt probaui, sunt vaporosæ substantię, quàm quæ morbum faciant, in quibus febres acutæ sunt, & ferè igneæ, vt plurimum cũ linguæ ariditate, & nigredine, cum delirijs, & vehementi siti, cum Aetio teneo refrigerantia potius conuenire, ac etiam acida, vt febri, ac eius malignitati tunc temporis maximè prospiciatur, nè per attenuantia, & aperientia acrium humorum multitudo in vapores diffletur, & per excalfacientia febris augeatur, fieri enim potest, inquit Gal. x. Meth. cap. primo, vt febris magnitudo præsentem perniciem afferat, nisi occurras, quo casu hanc prius submouere oportet, deindè ad caussam submouendam accedere.

Quo ad quartum quęsitum; vtrum Epithemata sint approximanda; Epithemata, sacculos, linimenta, & reliqua quæ cordi robur adijcere possunt, conuenire arbitror, quę refrigerandi, & perspirandi mixtam facultatem habent, vt sunt aquę Acetosæ, rosarum, boraginis, buglosæ, Melissæ, citrangulorum florum, & totius fructus citri, santali,

falia omnes, coralia, margaritæ, lignum Aloës, antora, semina basiliconis, grana iuniperi, been, diptamus, os de corde cerui, puluis cordialis, bolus orientalis, vinum cretense, acetum rosaceum, crocus, moscus, belzuin, & ambra: ex quibus confici possunt sacculi, epithemata, & cũ theriaca, mitridato, oleo nenupharino, citrino pro corde linimenta. Ex his enim, & similibus roboratum, promptiùs, quod molestat, excutiet.

Quid vlteriùs vltimo loco agendum sit (pro Tyronibus hæc adijcientur) ex superiùs adductis facile patet, Petticulas curatione nõ egere, quia ex se in auras euanescunt, dũmodò remoueatur fomes, qui est fœda putredo, maligna, quæ vitium robur dissoluit, pro cuius remotione procedendum est cum exiccantibus, adstringentibus, refrigerantibus, & his, quæ toto genere qualitatibus occultis, & manifestis venenosæ qualitati aduersantur: cuiusmodi sunt acidi succi, & austeri, terrarum genera, & lapidum, antidoti omnes; inter quæ potiora habentur in vsu; Sy. de acido citri, & limonum, oxisaccara, acetosus simplex, nenupharinus, de granatis, de ribes, de agresta, de suco acetosę, rosatus simplex, de portulaca, de succis endiuię cicorei, boraginis, & violarum. Decocta florum, & fructuum cordialium: rad. borag. & buglosæ foliorum endiuiæ, acetosæ, cicorei, nenupharis, calendulæ, diptami albi, rutæ caprariæ, tamarindorum, quattuor seminum frigidorum maiorum, seminum & florũ citri, tormentillę, antoræ, serici crudi, fragmentorum margaritarum. Et pro vermibus sementinæ, corallinæ, scordei: Itẽ aquæ ex his stillatitiæ, & potissimum rosarum, & florum, ac fructus citri vnà cum seminibus, conferunt conserua de acido citri, florum, & radicum boraginis, & buglosæ, & amarenata. Prætereà mala granata, & aurea subacida, bolus arm. orient. terra sigillata, vtraq; coralia, lapis Be-

de confit. ar. med. cap. 17.

zear, rad. antorę, ramentum vnicorni, os de corde cerui, eiusdẽ lachryma, & cornu vstũ, puluis cordialis, vniones, margaritarum fragmenta, oleũ de vitriolo, theriaca, mitridatum, ac reliquæ antidoti, quæ ad venenosas, & pestilentes febres componi consueuerunt.

Animaduertendum, quòd acida in malignis febribus competunt, quia venenositati aduersantur, & prohibent ne maligni vapores ad cor, & caput transferantur. Theriaca, vt notat Mercurialis consilio 24. primi tomi, ex mente Galeni, & Auerois etiam in magnis febribus, atq; morbis calidissimis confert, vbi in illis sit venenata quæpiam conditio: neque mirum hoc alicui videri debet, inquit Gal. de vsu Theriacæ, si quando haustum venenum superat, pestilẽtiam quoq; vincere possit: Aestiuo tempore in maligna perurente febre ad vehementer refrigerandum potus aquę frigidę à quibusdã laudatur, extremis enim morbis extrema aiunt remedia optima esse. Rasis hoc remedio maximè confidit, quam non semel exhibet in niue refrigeratam, sed bis, & ter, si eam euomerit: Auic. idem comprobat: & Gal. x. Meth. cap. xj. in febribus colliquantibus, vt solent esse pestilentes, quam primũ exhibet: sic enim extincto feruore calor innatus reuiuiscit, quo coctio pro putredine perficitur, & praua expelluntur: repellit quoq; frigidum vitiosos humores ab internis ad externa, vndè sudor plerunque exoritur: sed hoc præsidium à plerisq; Medicis formidatur, & exploditur, quamuis omnium fortasse sit præstantissimum.

Nunc autem ad magis particularia descẽdendo, quãdo acutis febribus adiuncta est malignitas, tunc quædã, vel plura horum signorum concomitantur, vel posteà superueniunt, vtpotè excretiones liuidæ, cruentæ, impensè fœtidæ, merè biliosæ, vel porraceæ, colliquationes, vrinæ subiugales, liuidę, nigrę, oleaginosæ, fætentes, tenues,

& de

& decolores, deglutiẽdi, vel ſpirandi magna difficultas, ſingultus, frigidi ſudores, lingua aſpera, & nigricans ſine ſiti, frigus extremarum partium per totam acceſſionẽ, interiora vri, exteriora frigeſcere, luctuoſa ſuſpiria, inquietudines, & corporis agitationes, cordis anxietates, inappetentia, animi deliquia, ſyncopis, deliria cum vigilijs, vel cathaphora, à ſomno labor, & dolor, exanthemata, carbunculi, parotides, bubones, Petticulæ, motus conuulſiui, tremores, timor, viſiones, & phãtaſmata prę oculis apparentia. Quandoq; etiam ſuperueniunt cum læui febricula abſque vehementi calore, cum pulſu, & vrinis fere naturalibus, quæ admodum exitialis eſt.

Morituri raro in hoc morbo decimum quartum tranſcendunt: in euaſuris etiam raro priùs manifeſta concoctionis ſigna videntur.

Pro curatione: victus ratio, cum in tenui ægri delinquant, & morbi malignitas virium robur diſſoluat: conuenit panis tritus in iure paruæ pullæ coctus cũ expreſſo ſem. melonum, ſucco limonum, vel acidorum citrangulorum addito; eodem modo hordei ſuccus conficiatur, quibus etiam addi poterit aquæ roſaceæ, & ſaccari parum: quòd ſi etiam hunc viuendi modum vires nõ ferant, aut æger multo nutrimento aſſuetus fuerit, vel admodum ſit aut delicatus, aut moroſus, carnis contuſæ pullæ portionem adde: eadem ratione concedi poterunt cucurbitę cum agreſta, farrum contuſum, oriza, & iuſculum ex oui vitello recentis cum ſucco limonis: pyra, poma, pruna, etſi facilè corrumpantur, ſubacida tamen cocta cõcedi poterunt, granata ſubacida, & citrangula vtiliter exhibentur: omnia dulcia vitanda, vt marzapanes, confectiones, & ſaccarum in multa quantitate: ſic etiam amigdalata, & omnia pinguia, facile enim accenduntur, & in bilem vertuntur: Exconditis tamen quandoq; con-

cedi possunt cucurbita, lactuca, conseruæ de acido citri, & florum violarum, amarenata, pruna azarola, cicorei, boraginis, & buglosę radices: quòd si priùs in aqua ponantur, vt saccarum abluatur melius erit. Iura, in quibus cibaria decoquuntur, si adsint vigiliæ, alterentur cum endiuia, acetosa, lactuca poterit etiam quandoq; in fine cenæ cocta lactuca parari cum succo limonis, & parũ olei, & salis, refrigerat enim, humectat, & somnum conciliat: quòd si ægri propensi sint magis ad somnum, tunc alterentur cum acetosa, sem. citri, & tormentilla, & Melissa.

In potu sit aqua hordei nõ multæ decoctionis cũ iulep rosaceo, vel violaceo, aut de acido citri, aut de succo limonum, aut granatorum *subacidorum*: quòd si ventriculus sit imbecillus, addatur cũ hordeo parum cinamomi, vel coriandrorum pręparatorum: Aër æstiuo tempore ad frigidum alteretur solum irrorando cum aqua frigidissima & aceto, salicisq; populi, vitis, & cannarum ramulos apponẽdo, & si cameræ haberi possunt terrestres cum speculis ad septentriones vergentibus melius erit, potissimum in vrente febre.

Procuretur, vt aluus quotidie excernat, si non sponte, communibus clysterijs iniectis: somnus, & vigiliæ modũ nõ excedãt: loco exercitij, (vt dictum est superius,) lęues ac molles frictiones conueniunt, quę cutẽ rarefaciant, vt maligni, fuliginosi vapores exhalent. Animi passiones penitus vitentur. Siti, linguæ asperitati, ac reliquis symptomatibus succurrendum.

Cumq; in sanguine vitiato sit putredo, & in putredine malignitas communi clysterio priùs imposito statim à principio sanguis mittendus est pro virium robore, & plenitudinis ratione, nè posteà intempestiuè repetere cogaris non sine ægrotantis discrimine. Secetur vena iecoraria quam basilicam appellant, in curuatura brachij

dextri.

dextri: mane ſequenti læue aliquod medicamentũ exhibeatur, vt humorum copia, qui adhuc non putruerunt, minuatur, & onere, quo premitur natura, in parte leuetur: Sunt autem medicamenta læuia ſyr. roſ. ſol. caſſia; Mãna, rhabarb. dilutum, mirabol. tamarind. elleƈt. lenitiuũ diaprunis, & diaſebeſten lenitiui, diacatholicon, & triphera perſica, vel in bolo cum puluere cordiali, & coriandrorum præparat. vel ſolutis cum decocto cordiali dicto: Pro diuitibus hoc ſequenti vti ſoleo, quòd excipit tamarind. vnc. 1. mirabol. citrinorum, chebul. ſingul. dracm. 1. & ſem. florum cord. florum citri, foliorum endiuię, acetoſę, calendulę ſing. man. ſem. tormentillæ, ſeminum citri ſing. drac. 1. ſ. Serici crudi, been albi, & rubri, margarit. perforat. ſing. ſcrup. 1.

In quo poterit etiam infundi rhabarb. ſcrup. iiij. cum ſuis correctiuis, & cum hac infuſione, vel decocto abſque rhabarb. mannæ vnc. ij. triphere perſicę drac. vj. vel quòd ex deſcriptis magis placuerit diſoluantur.

Pro pauperibus autem Recip. ſyrup. roſ. ſolut. vnc. iij. elleƈt. lenitiue vnc. j. infuſ. ſenę q. ſ. miſce, & f. p.

Et quoniam huiuſcemodi malignę febres partes principes lędunt, cor potiſſimum, & caput, ſpiritus, & vires diſoluentes, hiſce omni ingenio, & plurimis præſidijs occurrendum eſt, vt fęda illa putredo obtundatur, & roborati ſpiritus reſiſtant, & diſoluta membra cõſtringantur, & caloris acredo, ac malitia infringantur. Vtiliter igitur epithemata cordi applicãtur, & oxirrhodina capiti, ſi vaporibus tẽtetur. Syrupi autem hoc modo parari poterũt. Rec. florum violarum, borag. bugloſæ, citri, fol. endiuiæ, acetoſæ, calendulæ, rad. borag. & bugloſ. an. man. ſ. quattuor ſemin. frig. ma. & citri an. drac. iij. Tormẽtillæ drac. ij. ſ. bulliant in aqua ſecundum ar. & ad vnc. iiij. huius decocti, adde ſyr. de acido citri vnc. j. ſyr. de ſucco aceto-

toſæ,

tosæ, oxisaccarę an. vnc. ſ. miſce, & in æſtate frigidus exhibeatur.

Erumpētibus poſteà Petticulis à repetitis euacuationibus, præter quàm à clyſterijs, ſuperſedēdum teneo, etiā ſi delirio ægri infeſtentur, melius etenim eſſe duco, vt vi morbi perimantur ægri, quàm cucurbitulis intempeſtiuè applicatis à Medico iugulentur, ſed tunc temporis ſatis erit manibus ablutis aqua calente cum oleo, & modico nitri ſimul miſtis, vt monet Aetius, mane, & veſpere ſingulis diebus antè cibum vniuerſo corpori molles, ac lęues frictiones deorſum trahendo à cruribus ad ſcapulas adhibere, & mane ſequenti, ſy. loco detur optimę theriacæ. dra. 1. cum vncijs quattuor ſimplicis aquę calidæ per ſex horas antè prandium pro vna vice tantum. In veſpere per tres horas antè cenam detur cōſeruę de acido citri vnc. j. cum puluer. cord. vel radicis antoræ, & ſuperbibat aquæ ſtillatitiæ totius fructus citri vnà cum floribus, & ſeminibus vnc. iij. aquę roſæ vnc. 1. qui autem hanc aquam habere non poſſunt, bibāt hordei cum ſeminibus citri decoctum. Ego in multis ſubſequēs deſtillatum expertus ſum vnc. ij. loco prædictarum rerum exhibendo, & benè contulit: quòd hoc modo paratur; Rec. caponū pinguium, & ſaltem duorum annorum numero. ij. euiſcerati lauentur cum aqua roſacea, in quorum ventre ſuantur acetoſæ, portulacæ, ſcabioſę, calendulæ, rutæ caprariæ, borag. & bugloſ. vnà cum radic. an. man. 1. s. florum citri, viol. borag. & bugloſ. an. man. 1. bulliant in lib. xxxvj. aquæ ad conſumptionem duarum partiū, deindè capones exprimantur in decocto, & abijciantur, & decoctioni addantur conſeruæ florum bugloſę borag. viol. roriſmarini an. vnc. ij. conſeruæ roſarum corticis citri conditi an. vnc. 1. s. foliorum dictami albi, rad. pſeudodictami rad. valerianæ maioris rad. antorę,

herbæ

herbæ tunicis, tormentillæ ann. drac. ij. sem. cardi benedicti, sem. citri, sem. acetosæ granorum iuniperi, been albi, & rubri, quatuor sem. frig. ma. an. drac. iij. zedoariꝫ, gentianæ, an. vnc. ſ. theriacæ, mitridati an. vnc. iij. foliorum auri nu. xxx. specierum, ell. diamargaritonis frig. elle. de gemmis, diarodon abba. & trium santal. ann. vnc. ſ. misce, & destillentur in balneo Mariꝫ, & huic destillationi adde aquæ fructus totius citri lib. 1. aquæ rosarum lib. ſ. & in vasꝫ vitreo reseruentur: confert lapis bezear, si detur ad pondus gran. v. maceratus parumper in cocleari aquꝫ buglosꝫ per tres vices, sic & pul. rad. antoræ ad scrup. 1. Non desunt, qui laudant oleum vitrioli ad guttas tres, vel quattuor disolutū in aqua rosacea, vel de acetosa: Mirum immodum laudatur aqua theriacalis habita à Serenissimo Cosmo Etruriæ Magno Duce, cuius Descriptio talis est.

Recipe carlinꝫ, carpobalsami, sem. rutꝫ, macis, doronici, xilobalsami ann. vnc. 1. sem. cicorei sem. acetosæ, saccari fini ann. vnc. ij. pulpꝫ citri rhabarb. ellecti sem. cardi benedicti, boli arm. orient. zedoariæ ann. vnc. ſ. olei de iunipero, theriacæ optimꝫ an. vnc. vj. rutæ recentis vnc. ij. ſ. granorum iuniperi, baccarum lauri an. vnc. 1. ligni aloë vnc. ſ. cinnamomi vnc. 1. ſ. aquꝫ fontis lib. ij. conterenda conterantur, & theriaca, cum oleo incorporetur, deinde omnia in boccia vitrea cum aqua misceantur, & dimittantur in infusione in balneo Mariꝫ per sex horas, posteà lento igne stillentur, ignē in fine augendo, donec tota destillatio compleatur, & in vasꝫ vitreo vsui reseruetur, dātur drach. v. per tres vices per horam antè accessionē, ieiunetur per quattuor horas.

Ego puluerem parare soleo ex margaritis, quæ perlæ vocantur, bolo arm. orient. rad. antoræ coral. rub. an. drac. 1. sementinꝫ, corallinæ, scordei an. drac. ſ. de qui-

bus simul mistis drac. 1. in petia rara ligatam syrupo per totam noctem infundere iubeo: in plurimis etenim vermes generari solent.

Transacta decima quarta, si Petticulę euanuerint, & signa concoctionis appareant, exhibeatur mediocre medicamentum pro materiæ coctæ portione.

Deinceps curatio sequatur sicut in cæteris acutis, quę decimum quartum transcendunt, & cum his semper quę malignitati aduersantur.

Antè id tempus nihil aliud innouãdum censeo, nisi sæua emergant symptomata, vt conuulsiones, tremores, phrenitis, lythargia, parálysis per capitis essentiam, quæ curationem peruertant.

IO. BAPTISTAE MAZZEO MEDICO eruditissimo.

Ioannes della Riuiere Medicus, S. D.

Libellum abs te exaratum summa cum voluptate perlegi, eoque id feci libentiùs, quòd lapidem, in quem vulgus Medicorum impingere solet; industria accurata, ordine planè connexo, breuitate mirabili, perspicuitate magna ita remouisti, vt tibi de Republica benemerito, merentiq; magnæ gratiæ haberi debeant: Itaq; censuram meã de eo opere ne expectato, qui omnia maximè laudo, & approbo, vt nihil ampliùs in eo desiderãri possit. Vale, & me, si placet, ama.

FINIS.

99 939 2418